Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Diana

Diana, Antonino

Coloniae Agrippinae, 1656

Necessitas

urn:nbn:de:hbz:466:1-40647

Visual Library

quod mutuans ſe privat facultate repetendi ad certū tempus.

tate repetendi pecuniam mutuatam per tantum tempus? Negativè reſpondent DD. communiter. Et probat Molina *de iuſt. tom. 2. tractat. 2. diſp. 308. numero* 8. quia iſta privatio eſt beneficium meræ liberalitatis, vnde mutuans non inducit ſuper ſe obligationem aliquam, quæ perinde aliquo lucro compenſari poſſit. Sed hæc ratio non placet, quia, vt advertit Salas *de vſuris, dub. 9. num. 12.* revera mutuans manet obligatus ad non repetendam pecuniam infrà tantum tempus. Igitur probatur primò concluſio à Leſſio *l. 2. c. 20. dub. 14.* quia contraria ſententia videtur nova. Secūdò, quia non poſſe repetere pecuniam infra aliquod tempus eſt quid intrinſecum mutuo, alioqui non differret à precario.

Quamuis aliqui contrarium doceant.

Sed his non obſtantibus, affirmativam ſententiam amplexi ſunt Ledeſma *pr. 2. tract. 8. cap. 35. concl. 4.* & Cœleſtinus *comp. tract. 11. cap. 5. quæſt. 2.* Primò, quia omnis obligatio civilis eſt pretio æſtimabilis. Secundò, quia tale onus indebitum non tenetur mutuans gratis ſubire. Tertiò, quia aliquem artiſtam ſuo inſtrumento privari, eſt quid pretio æſtimabile, ergo ſimiliter privari ſuis pecuniis mercatorem, quæ ſunt eius inſtrumentum. Quartò, quia id exigit bonum Reipublicæ. nam multi ſunt, qui pecunia indigent, & mercatores nolunt mutuare gratis, ne ſe privent commoditate negotiandi per cambia, vel aliis modis, vnde æquum eſt, vt mercatores de communi conſenſu conſtituant certa pretia carentiæ pecuniæ maiora, vel minora, habita ratione copiæ, vel inopiæ pecuniæ, mercium, &c. Præſertim quòd cum hac privatione concurrit vt plurimùm aliqua ratio iuſta exigendi locum pro mutuo, vt periculum, lucrum ceſſans, damnum emergēs, labor, & diligentia in parandis pecuniis, &c. Ad argumenta primæ ſententiæ, reſponderi poſſet, opinionem non carere auctoritate, cum eam doceant præfati Doctores. Nec eſſe de ratione mutui, quod mutuans careat facultate petendi pecuniam ad certum, & determinatum tempus, ſed ad aliquod tempus indeterminatum. Differre verò mutuum à precario, quòd in hoc non transfertur dominium, ſicuti transfertur in mutuo. Ita illi. Sed an probabiliter, alii iudicent, *par. 1. tr. 8. reſ. 48. & p. 5 tr. 16. reſ. 50.*

De quodā contractu, qui dicitur, Stocco.

17 Quæres hic. An liceat petenti mutuatam pecuniam, reſpondere. *Nolumus tibi mutuare pecuniam, ſed dubium tibi tantam pecuniam in mercibus ſummo pretio ad creditum?* Reſpondeo. Vide V. *Contractus, num. 5.*

NECESSITAS.

Neceſſitas quotuplex?

1 Neceſſitas triplex eſt, extrema, gravis, & communis. Extrema eſt, quando cui deſunt neceſſaria naturæ: gravis, quando deſunt neceſſaria ſtatui; Communis eorum, qui mendicant, vel in conſervando proprio ſtatu aliquā inopiam patiuntur. Vide V. *Eleemoſyna.* Vbi invenies quis, ex quibus bonis, & in quibus neceſſitatibus eleemoſynam dare teneantur. Poteſt etiam pauper in extrema, vel gravi neceſſitate debita non ſoluere, & neceſſaria clam ſurripere. *part. 11. tractat. 1. reſolutione* 13. Vide V. *Reſtituere, n. 37 & ſeqq.* & Vide Pauper. De neceſſitate Sacramentorum, vide ſub ſingulis eorum nominibus, & reliqua in ſingulis materiis.

Et qualiter ſublevanda.

NEGOTIARI.

Negotiari quid?

1 ✠ Negotiari eſt emere rem, & eam ſic manentem revendere. Poteſt eſſe illicitum ex multis capitibus. Præſertim ratione perſonæ ✠. Nam

Et qualiter Clericis, ac Religioſis prohibitum.

Clericis in Sacris conſtitutis, & Religioſis negotiari per ſe prohibitum eſt in cap. *conſequens. diſt. 88.* vbi Gelaſius Papa ſic ait: *Clericis ab indignis quæſtibus abſtinendum, & ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio ceſſandum, aut in quocumque gradu ſunt poſiti, mox à clericalibus offi-*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN